

que sua humiditas in ipso sit consumpta, etiam in terram nigram conversa. In ista sublimatione completa est vera separatio quatuor elementorum. Quia frigidum & aqueum elementum mutatur in terram calidam & siccam, quæ caput corvi, mater reliquorum elementorum; Sic opus nostrum nihil aliud est quam transmutatio naturæ & conversio elementorum. Spirituale fit corporeum, liquidum fit spissum, aqueum fit igneum. porro terra nigra cum sua aqua in lento calore imbibatur & exiccetur donec sufficienter mundata sit ad albedinem deducta.

Quæ tamen nominatur terra alba foliata, Sulphur naturæ ignis, ibi facta est nova conjunctio Solis & Lunæ & re-citatio mortui corporis. Quando nostra terra frugifera in sua propria aqua humectatur in sua siti, magna aviditate eam bibit, donec prægnans fiat ac deinde centuplum fructum ferat.

Iam ulterius procede cum terra alba, cui augmentabis ignem, donec per motum continui caloris in rubedinem excellentissimam digeratur, quæ dicitur corallus rubeus. Sulphur rubeum sanguis, aurum purpureum crocus conibustus. hoc ipsum ter vel quater repete cum materia nova, & habebis lapidem perfectissimum rubeum, uti sanguis est, quo tinctus Mercurium & omnia imperfecta Metalla.

Oportet autem ut accipias Sulphuris prædicti tres partes. de Auri puri unam partem & hoc in calcem subtilem re-acti, aquæ ejus duas partes. Hæc tria subtiliter misce, donec in ipsis fiat una res inseparabilis: Hæc igitur in suo furno distillantur in lapidem rubeum.

### RAYMUNDVS LULLIVS.

Orbita est pater omnium Metallorum, Luna est mater, quæ lumen suum à sole mutuatur. In his totum consistit magisterium. Aurum reduci debet in argentum vivum fixum, quod est calidum & siccum.

Argentum vivum vulgare non potest in igne detineri, nisi alterum argentum vivum corporale, quod est calidum & siccum, & plus digestum quam ipsum vulgare.

Si igitur nostrum, corporeum argentum vivum mutatum erit in argentum vivum currens, non tangens digitos, am-plexantur se invicem vinculo amoris, quod nunquam ab invicem separantur. Et sic essentialiter invicem uniuntur, unum in alterum ingreditur, atq; humiditas phlegmatica argenti vulgi exiccatur, ejusque humiditas destruitur, & fit nigrum